

De febris intermittentibus spurii seu epidemiis carmen / [Christian Tobias Ephraim Reinhard].

Contributors

Reinhard, Christian Tobias Ephraim, 1719-1792.

Publication/Creation

Glogau : The author, 1759.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/f9f4hcx4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Phil. Jacob Fungh Medicina Doctor.

Prag. 1804.



D. CHRISTIANI TOBIAE
EPHRAIM REINHARD

APVD SAGANOS

PHYSICI

DE

F E B R I B V S

INTERMITTENTIBVS

SPVRIIS

SEV

EPIDEMIIS

CARMEN.

Morbus et ipsa Salus oriuntur ab aëre: sic in
Aëre morborum semina mira natant.

GLOGOVIAE

SVMP TIBVS AVCTORIS

c1o 1oCC LVIII.

Floridus in sacris colebatur, et, eûge! dabatur

Auspice *Praelato* Praepositura TIBI.

Floridus ergo diu viuas, sis *Floridus* alter:

Sic TIBI, crede, dies floridus omnis erit.

307397



VIRO

VIRO
ADMODVM REVERENDO
AC EXIMIO DOMINO
DOMINO
CAROLO STANISL.
DE REHCINSKY

Ducalis Canoniae Apostolici Ordinis
Canonicorum Regularium Sancti Augustini,
Congregationis lateranensis ad B. Virginem Sa-
gani Canonico Regulari, SS. Theologiae
Licentiato, Ecclesiae in Dittersbach,
Mednitz, Gorb et Kalkreut

PAROCHO

nunc vero

ad Spiritum Sanctum

PRAEPOSITO

Fautori, Promotori, et Patri

suo

aeternum colendo;

hoc Carmen medicum

sub

auspicatissimae promotionis

occasione,

in tesseram

Gratitudinis atque Reuerentiae

cum ardentissimo voto

diuturnae Salutis, incrementis bonae Fortunae,

et Benedictionis diuinae

ex filiali Cordis sinceri affectu

offert

gratulabundus,

deuinctissimus ac humillimus

Seruus et Auctor.

Quod

VIR

ADMODVM REVERENDE,
AC EXIMIE DOMINE
PRAEPOSITE ET FAVOR
OMNI, QVA DECET, PIETATE
SVSCIPIENDE.

Rationibus et quidem fat grauif-
simis me abundare, non igno-
ro, quibus et moueor, et de-
uincior, TIBI, ADMODVM RE-
VERENDE PRAEPOSITE, re-
uerentiam, qua TE prosequor, tan-
quam publicum testimonium, perspe-
ctam facere.

At, ipse in me asperrimis inuehe-
rer verbis, et me sale et aceto per-

stringerem, quid, quod? me, conscientia mea coram TE grauius accusaret, eis, et iustissimis ex causis, quod in persoluendo Debito, me tam tardum, tamque negligentem praestiterim: Multum enim diuque in tabulis TVIS obaeratus haesi. Certe, me iudice, crimen meum, omni excusatione maius foret, si oblata ista opportunissima occasione, tam imprudens, tamque incurius agerem, ut diutius pisce mutior permanerem. Procul absit a me ista profani vulgi ingratitude, ut potius laetitiae indulgere, prae qua exultat anima mea, pium putem, quod mihi tam felici esse liceat, TE, Praepositum salutare.

Lon-

Longam feriem et taediosam TIBI
meritorum, quibus inclaruisti, histo-
riam a me in praesentibus literis gra-
tulatoriis expectare, quaeso, nolis.
Consultus enim eorum commemora-
tione abstinere malui, ne eadem me-
ritis TVIS plus detraherem, quam
adderem. Finge, quod merita TVA
orbi literato certiora facere, in me
suscepissem, nonne ipse adulatoris no-
tam incurrerem? Virtus enim mori
nescia, nullo opus habet ebuccinatore.
TIBI vero TVA esse merita, eaque
omnem laudem superantia, meam sal-
tem, omnes, qui TE noscunt, et
TVO consuetudinis vsu fruuntur, sine
me, optime norunt. Ea enim si abs
TE, quam longissime remota fuissent,

TE, polliceor sanctissime, nunquam iudicauisset dignum, VENERABILE CANONICORVM REGVLARIVM CAPITVLVM, QVOD in tribus, diuerso tempore institutis electionibus; TE, tanquam subiectum futuri Abbatis eligeret, Regique Optimo et Sapientissimo exhiberet. Id tamen clō Iō CC XXXVII die XIII No- uembris, clō Iō CCLII die VIII Octo- bris, et clō Iō CC LVIII die XXVIII Iunii ILLIVS suffragiis factum esse, ne inuidiam quidem ipsam fugit. At, qui aduersa, eaque nullo modo de- clinanda, sed a certis temporum vi- cisitudinibus naturaliter dependentia fata, forti et generoso animo, vt Vi- rum iustum decet, perferre didicit,
inter

inter Sapientes principatum, vt reor,
obtinere meretur. TVAM in elegan-
tioribus, et sanctioribus literis com-
paratam scientiam intactam relinquo,
TVAM vitae integritatem, morum-
que elegantiam transeo, pietatem
TVAM, sanctum Zelum taceo, omnia
enim ista et alia singuli perspecta ha-
bent, ac in aprico posita cernuntur.

SVMMI NVMINIS MAIESTA-
TEM omni, qua par est, submissione
ac deuotione supplex adoro, **QVAE**
secundum suam perfectissimam sapien-
tiam, **REVERENDISSIMI PRAE-**
LATI ET DOMINI GRATIOSIS-
SIMI COR eo direxit, vt **ISTI** me-
rita **TVA** curae, cordique fuerint, et
com-

commotus eisdem, vt ILLE, digni-
tatem praepositi ad S. Spiritum in TE
contulerit. Gratulor itaque TIBI de
ista noua, quam mereris, sparta. Sed
gratulatio fera, teste Cicerone, repre-
hendi non solet, praecipue si nulla
negligentia praetermissa est. Serius
enim quam par est, quod maxime do-
leo, manum opusculo meo, Typogra-
phus multis negotiis distractus, ad-
mouit, saepius licet a me per literas
admonitus sit, vt se, omni remoto
obstaculo, ad opus perficiendum ac-
cingeret. Gratulor ex intimo corde,
et gaudeo: increfcet indies gaudium
meum, quod ex isto TIBI oblato ho-
nore, capio, si temporis successu in-
tellexero, quod DEVS O. M. TE ista
secun-

secunda fortuna cum salute diuturna
per longum saeculi spacium, frui pa-
tiatur. Gaudeas ergo forte tua, vta-
ris munere isto, ex REVERENDIS-
SIMI gratia, TIBI concessio, viuas diu
fospes et ex quavis asse beatus, fero-
que redeas ad coelum, vt habeant,
VENERABILES TVI PARENTES,
QVI die primo Octobris anni prae-
teriti iubilaeum gamicum celebraue-
runt, quo delectarentur, vt habeat,
EORVM cana senectus, quo gaude-
ret, quo suffulciretur, et quod eam
solaretur, vt tandem et ego habeam,
cui fiderem, quo fruerer, et quo lae-
tarer.

Sed vt multa, eademque paucis complectar:

Fiat idem Famae, Meritis, Laudique, quod omne

Arbo-

Arboribus teneris fieri consuescit, earum
Corticibus leuibus, si inculpsit cuspide ferrum
Grammata, quae crescente solent increfcere stirpe
Sic TVA Laus, et Honos stabunt sine funere, Fama
Semper florebit, Virtus et Nomen ad vsque
Interitum mundi, me vaticinante, manebunt!

Vale, et si mereor, faue

TVI NOMINIS ADMODVM
REVERENDI, AC EXIMII

Scribebam Sagani
e Musaeo
die XIII Nouembris
A. S. R.
clb lb CCLVIII.

studiosissimo
Reinhard
Camentiano,

Quod

Quod fortunatum fit, felix, atque beatum!

Praefamen.

Carminis, ista quidem meditatio, nomine
gaudet:

Sed non conueniens solet esse character
eidem.

Me tamen ille iuuat scribendi mos, Tibi quare
Non ea displiceant, ratio, quae scribere iussit
Obseruata, quibus labes epidemia febris
Se manifestauit grassantis quinque per annos.

Nil tua enim refert, numeris an vincta sit, anne
Haec pedibus careat tractatio: Dummodo veri
Quid gerat, et prodesse queat, lectuque sit apta.
Quis vetat immiscere modis mea serua gratis?

Febris Diua *) faus vati, qui carmine *febres*
Intermittentes vult pertractare, nociuum
 Aëreum vitium, *quas* scit producere: Coeptum
 Fac, vt opus cedat feliciter, adde vigorem,
 Addeque feruorem venae: Sic carminis huius
 Faustus erit finis, studium nec inutile vatis.

*) Gruterus inscription. p. 97.

FEBRI. DIVAE. FEBRI.
 SANCTAE. FEBRI. MAGNAE.
 CAMILLA. AMATA. PRO.
 FILIO. MALE. AFFECTO.
 P.

Intermittentes, ego dum medicus cano *Febres*
Illarumque typum, nec non symptomata, fas est
 Ordinis vt causa dicam: quid *febris?* et vnde
Eius origo sit? ex queis causis *illa* resultet?
 Queis symptomatibus *febris* stipetur? et vnde
 Haec producantur? vario cur Schemate ludat?
 Schemate mutato, cur nomine gaudeat vsque
 Diuerso? diuersa simul curatio cur sit?

DE
 FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS
 SPVRIIS
 SEV
 EPIDEMIIS
 Anno cIōIōCCXXXVII, VIII, VIII, L et LI
 OBSERVATIS
 CARMEN.

§. I.

Nomen habent *febres* a verbo *februo*, purgo.
 Hinc omnis *febris* purgatio dicitur, illa
 Dum purgare solet corpus, si forte nociuis
 Succis, et vitio, nec non lentore, laboret.

§. II.

Intermittentis vero sub nomine *febris*
 Describunt medici morbum, qui tempore certo
 Motus vsque nouos repetit, cum frigore nec non
 Aestu, quem sudor sequitur. Repetitio verum
 Ista, paroxysmus vocitatur ab arte peritis.

§. III.

§. III.

Est *febris* spasmus solidorum, obstructa viarum
 Oscula qui referat sic, vt certissima possit
 Inde venire salus. *) Probat hunc, constrictio
 spasmus,
 Externae cutis existens, sub frigoris actu.

*) Io. Henr. Schulze Differt. de spasmō dolorifico sae-
 pius remedio, quam morbo.

§. IV.

Continuas comites habet inflammatio *febres*.
 Nec simul hac absente queunt existere *tales*.

§. V.

Subdola quum redeat varia vice, nomina *febris*
Intermittenti medici diuersa dederunt.
Illa, paroxysmis, quae quavis luce recurrit
 Vsque nouis, *febris*, vult *quottidiana* vocari.
 Sic repetens motus, vt non nisi transeat vnus
Febre dies vacuus, medicis est *tertia* dicta.
 At si forte duo vacui sine *febre*, terantur
 Labanturque dies, *febris quartana* vocatur.

Haec,

Haec, campana viris senioribus adsolet esse:
Subiectis tamen est iuuenilibus *illa* salubris.

§. VI.

Verum scire licet: *Febres* instare futuras,
Nausea ventriculi si quasuis euomit escas,
Crebraque si subeunt menti fastidia rerum,
Si corpus torpet, refugitque negotia, sique
Plena metus somnum turbant insomnia, vel si
Saepe perhorrescunt, aut de torpore queruntur,
Corporis, ac pondus scapulis incumberet ingens.
Sique pedes languent, titubant, gressumque recusant,
Si subferre genu, non molem corporis audet,
Si tentat vertigo caput, tenebrisque molestat. *)

*) A. Corn. Celsus Libr. II. Cap. 2.

§. VII.

Queis *intermittens* sit cognoscenda, docebo,
Signis, quoue modo soleat decurrere, pandam,

§. VIII.

Tensio praecedat, seu pandiculatio *febrem*
Intermittentem: nec non oscedo propinquam:

A cute fit versus cor raptus sanguinis, ob quem
 Pallefcit facies, reptantis ferpit ad instar
 Formicae fensus per spinam, nascitur horror
 Corporis obcludens spiracula, nec falit vllus
 In carpis manuum pulsus, sed si falit, aut vix
 Tangenti digito fit perceptibilis, aut se
 Subtrahit intermittendo, pulsūque prementis
 Illudit medici examen. Color inficit vngues
 Liuidus in digitis, totum prae frigore corpus
 Concutitur, dentesque strepunt, orisque labellum
 Nec non membra tremunt, grauiter respirat, anhelat
 Stertit febricitans. His omnibus aduenit aestus
 Siccus comburens, fitis indelebilis angit,
 Atque dolor capitis plus et minus vrget acutus,
 Qui facit haud raro, blasphema loquatur vt aeger
 Et dolor exercet lumbos, grauitate molestus
 Percipiturque celer pulsus, cor palpirat intus.
 Tandem finitur *febris* sudore salubri:
 Omnes sanguineae *febres* quo rite leuantur.

§. VIII.

Quod si ventriculus crudis humoribus auctus
Intermittentem febrim produxerit, inter
 Frigus subsequitur vomitus mucedine lentus.

§. X.

At si intestini duodeni cruda saburra
Intermittentes febres generauerit, vsque
 Frigore finito fluxus producitur alui;
 Cui simul interdum sociantur tormina ventris;

§. XI.

Qui per vesicam matulis immittitur humor
 (Praecipue quando corpus torretur ab aestu)
 Flammeus apparet, requiescens ponit arenas
 In fundo rubras, laterisque coloribus aequas.

§. XII.

Febricitans nimio dum turget sanguine maius
 Et frigus patitur, maiorem sentit et aestum.

§. XIII.

His symptomatibus *febres* gaudent, et eisdem
Legitimae nec non *spuriae* stipantur. In *istis*

Vero *quas* dixere *nothas* magis angit et aestus
 Sat longum tempus perdurans: Frigoris autem
 Effe parum solet. Ast hora qua prodiit, *illa*
 Nomine *legitime febris quae* gaudet, eadem
 Insultum repetit. *Febris* contra *notha* dicta
 Incertis horis redit; aut citius venit, (illud
 Anticipare vocant,) aut serius ingruit (et tunc
 Dicere sueuerunt medici) postponere *febrim*.

§. XIII.

Anticipare bonum: contra postponere *febres*
 Ominis esse mali, statuerunt arte periti.

§. XV.

Sunt ita *legitimae febres*, quas protulit omnes
 Ventriculus lentore scatens, vitioque laborans:
 Suntque *nothae febres*, quas solus parturit aër
 Particulis tetris, praegnansque miasmate, per quod
 Corporis humani succis epidemia labes
 Infertur sic, vt corrupto sanguine *febris*
 Prodeat in scenam, *quae* tangit corpora *febris*
 More catarrhalis. Sed lapsis forte diebus

Quatuor apparet, mutato schemate, *febris*
 Principio medicas sub larua fallere tentans
Febris continuae: *Notha* quam mentitur in ipso
 Morbi principio; quia traxit ab aëre caussam.

§. XVI.

Non in ventriculo latet *huius febris* origo,
 Eius enim caussam sustentat et exhibet aër,
 Sanguinis intingens massam, ceu toxica corpus.
 Hinc raro stomachus vomitu subuertitur; At si
 Ventriculus scateat nimia fortasse saburra,
 Subcedet vomitus, dum frigus et instat et vrget.
 Vidimus aluino fluxu cum tormine ventris
 Se *febres* soluisse, *malus* *quas* protulit aër.

§. XVII:

At quidquid papulis minimis exulcerat ora
 Dispellit *febres*; *quas* aequae frangit obortus
 Abscessus, nec non multus furunculus arcet:
 Siquae colore cutis flauo maculatur, abire
intermittentes febres consuescere; dicunt.

§. XVIII.

Caussam palloris, sensus reptantis ad instar,
 Formicae, nec non vomitus et frigoris, atque
 Intermittentis pulsus (qui saepe medentem
 Fallit, vt inde patet, quod pulsus subsit vtroque
 In carpo manuum defectus) pectoris atque
 Anxietate grauis, vel anhelii, dicere fas est.

§. XVIII.

Corporis externi constrictis vndique fibris
 Fit spasmus, per quem rapitur cruor a cute versus
 Interiora: Tument internae sanguine venae
 Externis vacuis a sanguine; Pallor in ore
 Omnibus in membris perreptans sensus et horror,
 Et frigus, dentis stridor, tremor et color vnguis
 Liuidus eueniunt, in carpis subtrahit omnis
 Se pulsus, qui tunc intermittens solet esse
 Sic, vt iucares, quod plane pulsus abesset
 Omnis, cor vero sub laeuo pectore pulsat. *)

§. XX

*) Aur. Corn. Celsus lib. IIII. cap. 1. Cor natura
 musculosum in pectore sub finitiora mamma si-
 tum est.

§. XX.

Interiora petens nimius cruor a cute pulsus,
 Hic dum pulmonis viscus grauat, inde venire
 Pectoris anxietas solet, et spiramen anhelum:
 Ast hoc, pulmones onerati sanguine tentant
 Purpureos nimios succos extrudere, nisu.

§. XXI.

Quando vasa tument capitis tumefacta cruore,
 Adficitur cerebrum, veniunt deliria mentis,
 Exoriturque dolor capitis grauis atque molestus.

§. XXII.

Ad cor quando ruit progressus sanguinis humor,
 Contrahitur crebro cor sic, vt palpitet intus;
 Hinc vacuare studet se sic a sanguine multo
 A cute, cor versus misso, contractio cordis.

§. XXIII.

Saepe simul patitur stomachus, quem crebra mo-
 lellat

Nausea cum vomitu; Nimius quia sanguis ad illum
 A cute propulsus fuit. Ast hoc, copia maior
 Sanguinis huc lati, conamine pellitur, ipso

A' stomacho. Natura sagax discrimina quaevis
 Vitae, quae *febris* minuitur, discutit, arcet.

§. XXIII.

Humores, strictione cutis, quos, spastica versus
 Interiora tulit, dum gaudent robore fibrae,
 Illos, ad partes externas mittere tentant.
 Id dum molitur conamen machina nostri
 Corporis, adtritibus globulorum sanguinis ipsas
 Vasorum ad partes fit fortior: Hinc calor, aestus
 Exoriturque rubor, totius corporis, inde
 Et fitis et capitis dolor et deliria surgunt.

§. XXV.

Ingenti dum vi cruor interioribus haerens,
 Constrictos superare poros cutis usque laborat,
 Aequalis spasmis fit dilatatio. Quare
 Laxatis vasis, cruor irruit, atque canales
 Expandit nimium, quibus extensis stupor artus
 Occupat. Extensis at multo sanguine fibris
 Vasorum, sensus augentur, queis simul auctis
 Increfcit dolor. A medicis sensatio vero
 Aucta, doloris habet nomen. Ducendus abinde est

Lumborum, capitisque dolor, torporque, tenetur
 Quo corpus, quando torretur *febris* ab igne.

§. XXVI.

Partibus internis detentus sanguinis humor,
 Dum referare poros constrictos nititur, omne
 Quod modo narraui profert. Sed robore forti
 Fibrarum, nec non nimium pellente cruore,
 Haec referanda statim veniet strictura pororum:
 Illa sublata, cutis ipsa madore beatur,
 Leni in principio, quem postea sudor ab omni
 Parte bonus sequitur, quo tandem dulce leuamen
 Adcidit aegroti, quia se symptomata *febris*
 Soluunt. Febricitans ut viuat *febre* solutus
 Ad tempus, sudare iuuat. Prohibere salubrem
 Sudorem, nihil est aliud, quam frangere vires
 Naturae, *febrimque* morari longius aequo.

§. XXVII.

En! igitur causas, ex quibus *epidemia febris*
 Ducere consuescat natales: Vnde fit ortus,
 Quales euentus habeat, qualesque salutes
 Promittat, referam, vel qualia damna minetur.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Aëris ex vitio surgens epidemius audit
 Morbus, quo plures homines tanguntur, in vno
 Tractu qui viuunt, auraque fruuntur eadem. *)

*) Hipp. d. nat. hom. p. m. 44. Quando ab vno morbo multi homines corripuntur eodem tempore, caussam ad id, quod communissimum est, et quo maxime omnes vtuntur, referre oportet. Est autem hoc spiritus et aër, quem inspirando trahimus.

§. XXVIII.

Vt corpus cingens aër, seruare salutem:
 Sic proferre valet morbos. En! femina solus
 Aër habet, per quae possunt exsurgere morbi. *)

*) Hip. l. c. Palam est: eum ipsum Spiritum siue aërem, morbosam aliquam exhalationem habere.

§. XXX.

Gignit hyems *febres istas*, pluuiosa, remissa
 Frigore, vel niuibus rarissima, gignit *easdem*
 Inconstans: vt hyems mox magno frigore saeua
 Et diues niuibus, mox vero laxa soluto
 Frigore, vel niuibus liquefactis, imbre cadente,
 Austro flante frequens, et coelo rara sereno.

§. XXXI.

§. XXXI.

Corpus hyems pluuiosa nimis, vel laxa resoluit,
 Illiusque tonum pessumdat, circulus ergo
 Sanguinis euadit tardus, sic lentor in illo
 Nascitur, hoc nato, stagnatio sanguinis ortum
 Deriuat, quare venit inflammatio, *febris*
 Mille modis ludens mortales. Tunc simul aër
 Tempestate graui corrumpitur, atque nociuis
 Particulis aqueis putrefactis vsque grauatur:
 Ast hic hauritur quoniam a pulmonibus aër
 Noxius, humanis miscentur toxica succis;
 His deturpatis, patiuntur corporis omnes
 Sic dictae solidae partes, tunc noxa creatur
 Illis. Ergo venit morborum mira catena.

§. XXXII.

Humanum corpus tempestas humida laxat;
 Corpore laxato cutis ipsa remittitur: Ergo
 Illius pariter languent spiracula, quare
 Insinuatur eis impurus noxius aër,
 Corpus disponens ad multa pericula vitae.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Inconstans hyemis tempestat plena pericli
 Existit. Nam dum corpus, vehementius angit
 Frigus, stringuntur fibrae cutis, atque meatus;
 Ut non rite latex rutilus per vascula currat:
 Sic cruor haerebit, qui morbos ferre fit aptus,
 Sic morbi venient ex transpiramine laeso.
 At si solvatur vehementia frigoris, atque
 Illius vice subcedat laxissima forte
 Tempestat, habitus laxatur corporis. Omnis,
 Nam laedit corpus, quae fit mutatio praecept.

§. XXXIIII.

Intermittentes febres prodire videbis
 Aëris ex vitio *genitas* sub tempore veris,
 Praecipue multis nebulis, pluviisque molestis;

§. XXXV.

Aetati nulli vult parcere ab aëre *febris*
 Orta *intermittens*, omnemqueprehendere sexum
 Non dubitat. Recubans in cunis *febre* laborat
 Hac infans, puer ac equitans in arundine longa
 Illa

Illa corripitur. Iuuenisque, falaxque maritus
 Innixusque senex baculo tanguntur *eadem*:
 Et coniux et anus, cum virgine parua puella
Isti subcumbunt *febri*, quam parturit aër.

§. XXXVI.

In teneris facili studio deuincitur *ista*
Febris. At in pueris aufertur saepe labore
 Magno: Nam solet *haec* extendere corpus eorum,
 Hinc *ea* non citius finitur, quam sua corpus
 Incrementa tenet. *) Iuuenis fit liber ab *illa*
 Non sine difficili studio. Non parua pericla
 Confecti senio patiuntur *febri* prehensi,
 Dum nimium vires ab *ea* franguntur eorum
 Sic, vt subcedat *febri* consumtio lenta.
 Saepius *haec*, senibus canis apoplectica, *febris*
 Progignit mala, cum saeuae discrimine mortis.

*) Bagliu. p. m. 37. Adolescentes facit incrementis
 auferere.

§. XXXVII.

Sed vix sollicitant medicum sub tempore veris
Intermittentes febres ex aëre natae.

Auctumno contra renuunt, brumaue medelam
 Admotoque, aestate quidem, medicamine, cedunt
 Ast in continuas *febres* transire maligni
 Moris consuescunt aegri cum labe salutis.

§. XXXVIII.

Non cortex chinae, non adstringentia profunt,
 Non chalybis crocus, aut ouorum styptica calx fun
 Commoda. Nam iecur obstructum, viscusque
 lienis

Obstructum reddunt, ex queis prognascitur hydrops
 Tabes subsequitur, venit icterus, hectica prodit.
 His mediis pariter pulmonis nobile viscus
 Se male habet, pthysis vt nulla medicabilis arte
 Proueniat, nec non tussis sputando fatigans.

§. XXXVIII.

Spirituosa minus quadrant in *febribus istis*
 Scilicet his transire solent in schemata febris
 Continuae, sub queis corpus sudore liquatur
 Non perferre solent *istae*, purgantia *febres*
 Scilicet haec *illas* stimulant magis et magis augent
 Sic, vt detineant aegrotos longius aequo.

§. XXXX.

Vindicat ipsa locum sibi nullum sectio venae,
 Namque paroxysmi duplicantur sanguine misso,
 Inque ruunt peius quaeuis symptomata *febris*.

§. XXXXI.

Ast quando natura viget, nec vincere robur
 Corporis ista potest *febris*, methodusque medendi
 Opportuna fuit, studuitque tenere diaetam
 Exactam aegrotus, veniunt ex *febre* salutes.
 Namque *intermittens* solet expers esse pericli,
 Dum bene tractetur, nec festinando leuetur.

§. XXXXII.

Intermittentes epilepsi saepe medentur,
 Obstructum viscus referant, pelluntque cachexin,
 Ac hypochondriacos debellant, Herculis instar
 Morbos, hystericumque malum dispellere possunt.
 Subpressas fluxus reuocant (natura salubres
 Quos homini iubet esse sagax) arcentque poda-
 gram,

Soluunt rheumaticas morbos, sistuntque catarrhos.

Hisque mania grauens cerebrum phantasmate,
cessat,

Asthma perit, nec non incuruans membra ra-
chitis

Febre superueniente fugit. Sic caussa salutis

Interdum venit ex morbo prognata molesto

Vt bello pax grata: Salus sic febre paratur.

§. XXXXIII.

Intempestiue febris subpressa malorum

Existit mater multorum, splenque iecurque

Atque mesenterium, cum quavis glande tumescunt:

Hinc hypochondriacus morbus venit, atque cachexis

Prodit, et abscessus surgunt, scirrhi que resultant.

Hinc quoque pulmones pthysis immedicabilis exest.

Asthmata proueniunt, apoplexia faeua creatur.

Hinc oedema pedes tenet, hydrops nascitur, atque

Hectica consumit corpus, mors excipit illam.

Ecce quod inducat methodus peruersa periculum!

Hi tamen adfectus reuocata febre leuantur,

Dummodo tempestiue aegris medicina paretur.

§. XXXXIII.

§. XXXIIII.

Aëris ingenerat labes epidemia *febres*

Intermittentes diuersi nominis: Inde

Quotidianana venit, prodit quoque *tertia febris*,

Et surgit *quartana* ferox, longaeua, rebellis.

§. XXXV.

Omnes hae febres redeundi tempora certa

Non seruare solent, durandi tempora certa

Non retinent. Nunc et longus, nunc et bre-
uis eius

Esse paroxysmus solet. Aestus nunc breuis, et
nunc

Adfligit longus. Tum frigus longius vrget,

Aut nunc horror adest leuior, tum nullus et horror

Et nullum frigus sentitur. Schema typusque

Se variant, sicut variantur causa, cruorque

Plus minus infectus. Variant symptomata *febris*

Vt variat structura simul, qua corpora gaudent

Diuersi generis. *Febres* variantur et *istae*,

Sicut temperies, sexus, variantur et aetas.

Ut tandem variant tempestas, auraque coeli
 Et partes anni: *Febres variantur eaedem.*
 Iam *quartana* furit, iam vero *tertia febris*,
 Et nunc *quottidiana* premit, corpusque fatigat,
 Nunc indiscretim grassantur. At aëre *natae*
 Pro personarum ratione inuadere *febres*
 Plusque minusque solent. Puerilia corpora quod si
 Morbilli tangant, tussis coniungitur *illis*
Febribus: Obseruare mihi quod contigit annis
 Praeteritis, quibus *hac* detentis *febre* molesta
 Consociabatur tussis, quae prodromus est, dum
 Forsan morbilli tentent erumpere rubri.

§. XXXXVI.

Quaenam conueniant in *febribus hisce* medelae
 Dicere mens dictat, quod nam medicamen *easdem*
 Pellat, nunc referam, sed *eae* diuersa requirunt
 Pharmaca pro ratione mali, sexusque vel aerae,
 Tempestatis et aetatis variantis et anni.

§. XXXXVII.

Infantes aliam poscunt, aliamque medelam,
 Atque senes aliam methodum, iuuenesque requirunt.

§. XXXXVIII.

§. XXXXVIII.

Principio *febris* medicus procuret, vt omne
 Corporis e succis dispellat turpe miasma;
 Incidat stomachi mucos, vomituque saburras
 Omnes euacuet, spasmumque repellat, et illum
 Leniat et tollat tuti medicaminis vsu.

At spasmum mediis externis tollere praestat
 In senibus nec non teneris infantibus, his ne
 Damna creent opiata nimis medicamina, propter
 Debile neruosum genus, ob quod ferre recusant
 Expressum succum, quem fundit dulce papauer:

§. XXXXVIII.

Est oleum praestans, quod nomen habere Ca-
 joeput

Auctores scribunt, quo *febris* pellitur illa
 Certius, alterna *quae* quavis luce recurrit.
 Herba chamaemeli vulgaris tollit *eandem*.

§. L.

Quidquid enim morbum sanatque fugatque
 caducum
Intermittentis pariter scit tollere spasmos.

§. LI.

Cedere cui suefcit medicinae Syphilis, illa
 Mansuefcunt pariter *quartanae* nomine *febres*.
 Obftant *quartanis* medicamina *febribus* ifta
 Quae ftibium crudum dat, et admirabile praebet,
 Et quae mercurius currens largitur et obfert.

§. LII.

Ex inſpiſſato, quem dat biſtorta liquore,
 Atque ammoniaco gummi, lacrumisque, papauer
 Quas plorat, pilulae formentur legibus artis,
 His quoque mercurium ſolare iungere fixum
 Suadeo, de quibus aegrotus deglutiat octo
 In quacunq; die, bina vice: Certius illis
Quaelibet aufertur pilulis, quae nomen habere
Intermittentis febris ſolet. Has ego laudo
 Expertus. Domui pilularum viribus harum
Intermittentes longaeuas atque rebelles.

§. LIII.

Aſt, quae ſudorem blandum, lenemque ciere
 Poſſunt, opportuna puto medicamina, quippe

Quae

Illa fugare solent, e corpore triste miasma.
 Quae stomachi lentos possunt incidere mucos
 Ac hos euacuant, his uti, conuenit. Omnes
 Ergo sales medii plantarum, puluis arique
 Radicisque acris scillae, conchaeque marinae
Febri conducunt, venetus coniungitur apte
 His mediis sapo, qui detergendo resoluit
 Ventriculi mucos. Auratum sulphur eidem
 Vult prodesse. Iuuant et anodyna pharmaca, parca
 Sumta manu, imprimis ea si vis vel dare, post vel
 Ante paroxysmum. Tandem pro robore prodest
 Ventriculi lassifaciendo, quidquid amarum
 Linguae gustanti scit conciliare saporem:
 Elixir constans extractis fiat amaris,
 Quae dissoluantur cum sufficiente liquore
 Terrae tartareae foliatae, iungeque flores,
 Quos ammoniacus sal praebet. Detur id hora
 Circiter ante cibum cum vino. Proderit atque
 Ad robur stomachi faciet, mucosque tenaces,
 (Quae primas scatuisse vias in *febris istis*,
 Non ignoramus) tenuabit, eosque resoluet.

§. LIIII.

Ante paroxysmos eludat inunctio spinae
Frigus et horrorem, quibus omnis *febris* in-
horret.

Horas forte duas aeger sudore madescat
Ante paroxysmum, sudore leuabitur, arte
Prolicito; fugient febrilis et algor et horror:
Illis elusis aestus moderatior vret,
Vt successiue *febris* decrescere possit.

§. LV.

Accipe nunc methodum, mihi qua toties pla-
cet vti
Aegrotus quoties obcurrit *febre* laborans
Intermittendo, quae suescit corpus adire.

§. LVI.

Est digestivus pulvis, sine *febre* diebus
Postque paroxysmum febrilem dandus, habere
Qui gaudet venetum saponem, quique marinas
Conchas cum medio quodam sale continet, et quem
Ingre-

Ingrediuntur ari puluis Scillaeque marinae; *)
 Ut stomachi mucos incidat, digerat atque
 Concoquat, et reddat faciles, vt promptius horum
 Copia ventriculum laedens pellatur, eodem.

*) Rp. Sapon. venet.

Sal. abfinth.

conchar. ppt.

Pul. rad. ari aa gr. XXVII.

Scill. corp. gr. XII.

m. f. Pul. diuid. in VI. pt. aeq. S. Mane et vesperi in die-
 bus intercalaribus, et post finitum paroxysmum ex infus. herb.
 chamaemel. capiendus.

§. LVII.

Mobilis his fuerit quum factus mucus in ipso
 Ventriculo latitans, puluis capiatur, vt eius
 Vi valida lentor stomachi euacuetur. At iste
 Ante paroxysmum venientem detur, et ex his
 Constet compositus, concinneturque marinae
 Ex conchae, mediique salis, stibiique mouentis
 Transpiramentum Sanctori, partibus aequis,
 Sulphuris aurati tria confocientur eisdem

Grana (*). Tenax lentor stomachi euacuabitur inde,
Sic vt sublata causa, se cuncta remittant

Et fugiant aegri ex voto symptomata *febris*.

*) Rp. Conchar. ppt. antim. diaph. Tartari Solub. aa.
gr. XVII Sulph. antim. aurat. tert. praecipit. gr.
VIII in f. Pul. pro III dof. fumatur hora ante
impetum febris ex infus. herb. chamaemel, vel
chelidonii maioris, vel ex infuso sequenti.

Rp. rad. succifae Vnciam.
hb. chelidon. mai.

geran. Robert. aa manipuli dimid. basilici, pu-
gill. II.

Cort. Citr. rec. Vnc. dimid.

Cinnam. acut. Drach. III.

Cardamom. Drach. I.

Incisis et guttis

m. f. Species pro Infuso.

§. LVIII.

Ante paroxysmos est dorsi spina linenda
Vnguento facto ex oleo, quod amygdala dulcis
Pressa dat, in quo dissoluatur camphora, sperma
Ceti iungatur, quod destillando paratur
Ex caryophyllis oleum societur eisdem;
Vnguentum fiet, si Spiritus additur illis

Exammoniaco fale nec non calce paratus *)

Sic hoc auxilio cessabit frigus, et illo

Mitior euadet *febris*, penitusque filebit.

*) Rp. Camph. drachmam dimidiam, soluat in olei
amygd. dul. expr. quinque drachmis adde Sperm.
ceti Drachmas tres f. c. q. f.

Spirit. Sal. ammon. c. calc. vin. ppt. Linimentum
intillando olei destil. caryophyllor. Gutt. XV. D.
ad Fichl. f. inungatur hora ante febris adcessum
spina dorfi,

§. LVIII.

Elixir tandem propina, quod modo supra

Laudavi, Pilulas memoratas exhibe; tali,

Quotidiana perit, methodo, *quartanaque febris*

Et fugit alterna, quae quavis luce reuertit.

§. LX.

Inuenit ista locum methodus si robur et aetas

Adsint. In pueris nec non iuuenilibus annis

Commoda laudatur, fructusque dat ista medela.

In senibus contra tenerisque infantibus illa

Est aliena satis ratio, methodusque iuandi.

§. LXI.

At multus nimiusque forem, si pandere vellem:

Omnes tractandi rationes, sique docerem,

Quae sint infanti, quae sint senioribus apta
Pharmaca, iudicio potius linquenda medentis.

§. LXII.

Persistente, iuuat, non pauca bibisse, sub aestu ;
Ast aqua cum vino permista salubrior omni
Est potu: Siccis praefixa manent mala multa,
Nam potu parco siccantur corporis artus,
Febris protrahitur, sequitur consumptio lenta.

§. LXIII.

Vtatur vino vacuis a *febre* diebus,
Ac acidis modo quae natura benigna dat, aut ars
Et licet horaeis maturis fructibus uti.
Abstineat contra quouis a lacte, placentis,
Ovis et cancris et piscibus. Ista morantur
Febrem, dantque incrementum mirabile *febri*.
Non praesente iuuat mutari lintea *febre*,
Frigus vitetur, locus vodus et humidus absit:
Scilicet haec *febrem* remorantur, eamque redu-
cunt.

Febri sola fames stricte obseruata medetur.

§. LXIIII.

§. LXIII.

Sicut subpressas reuocant purgantia febres:

Sic et curatas. Quoniam purgatio neruos
Exagitat, stimulat, dum spasmos gignit in ipso
Intestinorum ductu, quibus vsque subortis
Febris legitima methodo curata, redibit.

§. LXV.

Intestinorum neruos purgantia pungunt,
Hinc punctis neruis spasmum prodire, sciendum est.
Sic intestinis stimu'atis, et cutis ipsa
Adficitur, quare sequitur strictura pororum,
Illis constrictis, fit transpiratio laesa,
Hinc, hac subpressa, venit horror et ingruit aestus:
Dum propter neruos stimulos e cute maior
Copia succorum defertur, versus, vt ipsa
Interiora ruat, fit, vt imminuatur in ipso
Sanguine, magna feri, per spasmos, portio, quare
Deficiente sero, spissescit sanguinis humor,
Sic, vt ob enatum lentorem sanguinis, ante
Auxiliis medicis *febris* depulsa recurrat.

§ LXVI.

§. LXVI.

Quando febricitans moritur, sub frigore mors fit. *)
 Frigore constricta nimium cute, sanguinis humor
 Partibus internis haerens, non pellitur extus,
 Qui tamen ex his fit pellendus: Sanguine cordis
 Utraque turgescit cavitatis, hinc robur eidem
 Deficit, ut succos nimios expelleret: Ergo
 Nullus subsequitur motus, cessanteque motu
 Cordis, non sanguis rubeus per vasa mouetur:
 Si cordis motus cessat, cessabit et ipse
 Circulus humorum, cessantibus omnibus illis
 Actio deficiet vitalis, vita necesse est
 Ut pereat: contra veniat mors omnibus aequa.

*) Bagliuius p. m. 137. Omnes, qui extinguuntur febre aliqua intermittente, circa initia paroxysmorum moriuntur, raro in augmento, statu, et declinatione.

§. LXVII.

Haec ita sufficiant, *spuriis de febribus istis*
 Intermittendo, *queis* corpus aduritur, et *quas*
 Aëris ingenerat labes epidemia. Quare
 Sit modus in verbis, sit dictis denique

F I N I S.

Carmina singula.

I.

ad

Admodum Reuerendum Dn. Praepositum ad Spiritum sanctum Sagani, nec non Canonicum Regularem Ord. S. Augustini Congregationis Lateranens:

à Rechcinsky.

Carole, Stanslaë à Rechcinsky, ô stemmate Clare, Clarior ingenio, sed pietate magis.

Ter, licet, electus, neque confirmatus vt Abbas, Canonicusque tamen, Praepositusque vales.

II.

Votum.

Dissolui cupio, cum Christo viuere malo;
Peccatis animam, quam vitiare meam.

III.

III.

Testamentum.

Palmis trado tuis animam, Pater optime! Namque
Mortuus, et viuus sum, maneoque Tuus,

IIII.

In Olympiam Fuluiam Moratam Fer-
rariensem Feminam eruditissimam.

Tullius eloquio, *Morata*, et carmine Sappho,
Ore Venus, mentis dote, *Minerva* fuit.

V.

In eandem.

Dotibus ex cunctis tibi nil natura negavit:

Hoc vno excepto, femina quod fueris.

VI.

In Eandem.

Si Sappho decimam Musarum dicere fas est:

Vndecimae merito nomen *Olympia* habet.

VII.

VII.

In Eandem.

Te tenuisse magis calamos, legisseque libros,

Quam tractasse iuuat fusa, colos, et acus.

hic dotes natura tibi concessit et auxit

His, mulier possis vt superare viros.

VIII.

In Battum.

Carmine plura refers, mi Batte, vocabula quam res,

Res nullas, verum carmine verba refers.

Multus es in verbis, in re parcissimus: Ergo

Nil das, dum fuescis, nil, nisi verba dare. *)

*) Battus fuit ineptus et odiosae loquacitati studens Poëta, qui in suis versibus eadem verba iterari consuevit: Itaque ad exprimendam Battologiam suam his vsus est repetitionibus:

. sub illis

Montibus, inquit, erant, et erant sub montibus illis,

item:

. . . et me mihi perfide prodis,

Me mihi prodis, ait?

Battum in Saxum transuersum fuisse, fabulatur Ouidius Metamorphoseos Libr. II. Videatur Georg. Sabini Fabular. Ouidii interpretatio, Viteberg. cl. 15 LV.

VIII.

In sexus sequioris fraudem.

Quum genus humanum Prometheûs fingeret olim
 Femellis Vulpis corque, dolumque dedit.
 Sic retinere solet fraudem sub corde Puella:
 Res ergo est Vulpis, femina plena doli.

X.

Trahit sua quemque Voluptas.

Diuerfos diuerfa iuuant, non omnibus vnum
 Ingenium, non est omnibus vnus amor.
 De morbis medicus, de causis iure peritus,
 Nauita de puppis differit, atque mari.
 Doctor de libris, de tauris narrat arator,
 Venator filuas laudat, amarque suas.
 Pastor oues, lusor cartas, et vulnera miles,
 Astrologus numerat fidera, diues opes.

